



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Christiana Institvtio Virtutum & vitiorum sacri uerbi Dei  
declamatoribus admodum vtilis et necessaria**

**Ammiani, Sebastiano**

**Venetiis, 1562**

Auaritiae occasiones sunt quatuor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30415**

*Auaritia occasiones sunt  
quatuor.*

**P**rima est familiaritas cupidorum, & auarorum, sicut enim carbones uiui carbonem mortuum accendunt, sic diuites uerbis & exemplis igne cupiditatis familiares suos inflammant. Vnde Sententia est Ecclesiasticis. Qui tetigerit picem coinquinabitur ab ea, &c. Secunda quia homo attendit in diuitiis, solum illa per quæ potest uideri pretiosus, ea uerò per quæ in ueritate contemptibilis est, non attendit. Ideo (inquit Gregorius) homines temporalia diligunt, quia quam fugitiua sunt non attendunt. Tertia est amor filiorum, per quos parentes male congregant diuitias, & sibi æternam gehennam præparant. Vnde Chrysostomus ait. Quid tibi prodest quòd filijs præpares hereditatem, & tibi tormentorū acquiras immanitatem? Quarta est, quòd homo sibi longam uitam repromittit, de qua repromissione dicitur in Ecclesiastico. Repromissio nequissima multos perdidit. Talis erat ille de quo legitur in Luca. Stud

Ecc. 13

Greg.

Chryso.

Ecc. 29.

Luc. 12.

CHRISTIANA

**Act. I.**

te in hac nocte repetent animam tuam &c. Hæc repromissio est nequa, scilicet, quando homo sibi usurpat proprium dei existens, scilicet de futuro disponere. Vnde in actibus Apostolicis legitur. Non est uestrum nosse tempora uel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Nequior est, cum tempus infiniti ualoris sibi à deo datum fatuè expendit, adhuc tamen præsumit quòd Deus multum sibi sit daturus. Nequissima est quando talis non tantum tempus sibi datum perdit, sed etiam in contumeliam ipsius largitoris expendit, & futurum tempus in contumeliam illius expendere disponit. Quia ergo fronte præsumit, quòd Deus qui ista nouit debeat sibi longam uitam dare?

*Auaritiæ remedia sunt  
quinque.*

**Hieron.**

**P**rimum est mortis consideratio. Vnde D. Hieronymus dicebat; Facile contemnit omnia, qui semper se cogitat moriturum. Sicut enim aues, & pisces reuertunt se ad importunitatem mus-